



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 22. De Angeli ad Christum confortandum aduentu; & sanguineo
sudore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XXII.

ANGELVS CHRISTO
apparuit, & ipse sangui-
nem sudat.

PUNCTVM I.

a Luc. 22. 43



ERSISTENTI in sua orati-
one Christo, a Apparuit illi
Angelus de caelo, confortans
eum.

I.

PERPENDENDVM
hic, quis hunc Angelum mi-
serit, quis fuerit ipse Angelus, & qua ratione
Christum confortauerit. Qui Angelum misit,
est aeternus Pater qui videns filium in tanta af-
flictione, ac desertione in oratione tamen per-
seuerantem, per hunc Angelum voluit eum
consolari; vt hac ratione, ostenderet suam de
eo prouidentiam & curam; & se non despice-
re orationem eius: sicut etiam, cum in deser-
to daemonem vicisset, & b Angelos misit, qui
cibum esurienti ministrarent. Docet nos au-
tem eadem opera, paternam suam curam cir-
ca eos, qui orationi incumbunt: mittens eis
per inuisibilem Angelum, Sanctam videlicet
inspirationem suam, opportuno tempore
consolationem: quam si differt interdum, non

b Mat. 4. 11

id facit, quod orantem oderit, aut re ipsa non
audiat; sed vt tempore, quo ei magis expedit,
illam mittat. O Pater æterne, gratias tibi ob
missum Angelum, qui mœstissimum tuum fi-
lium consolaretur. Per eundem oro supplex;
ne me in tribulationibus meis deserat: sed in
tempore mihi mittas solatium, quod eas per-
ferre possim.

ANGELVM, qui venit, credibile est fuisse
Gabrielem, cui commissum erat incarnato
Verbo ministrare: non tanquam custodi, sed
tanquam ministro, & executori eorum, quæ
ad obsequium eius pertinebant in mysterio
Redemptionis. Et quamuis vnus tantum An-
gelus venerit, quia is erat sufficiens ad Chri-
stum confortandum; si tamen plures ad id
fuisent necessarij, etiam decem eorum Legi-
ones ab æterno Patre impetrare potuisset eius
oratio: sicut paulò post ipsemet Petro dixit.
In quo apparet, Angelorum munus esse o-
rantibus assistere, vt consolentur, & animum
eis addant, eorum orationes Deo offerant, &
earum expeditionem referant: ipsa verò o-
ratione illos permouemus, vt, quotquot e-
runt ad nostrum auxilium necessarij, ad nos
veniant.

PERVENIENS itaq; Angelus ad Christum o-
rantem, spectabili indutus corpore summa re-
uerentia, vultuq; commiserationis plenissimo
locutus est illi, aliquibus adductis rationibus
quæ ipsum possent consolari, & in afflictio-
nibus confortare. Quod videlicet æterni

Patris

III.

S. Tho 1 p. q.

113. ar. 4.

ad. 1.

III.

Patris voluntas ac decretū esset, vt ipse mortem sustineret, calicemque passionis ebiberet; eod quod mundi redemptio id exigeret; & captiuorum, qui in Lybno detinebantur, liberatio; vt ipsum cælum iustis & electis conderetur; vt Prophetiæ implerentur: quod imminentes cruciatus breui finirentur, sequeretur verò mox resurrectionis gloria, & carnis ipsius æterna requies: has & similes adduxerit Angelus rationes, quas Christus Dominus demissè audiens, ostendebat se, quā hominem, suæ creaturæ huiusmodi confortatione indigere. & quamuis ipse non ignoraret, quæ Angelus ad ipsius consolationem adferre poterat, libenter tamen eum audiebat: & audiens confortabatur. O Saluator mi, quid sibi vult, vt qui Angelorum es consolatio & fortitudo, in eas te conijcere volueris angustias, vt vnus illorum confortatione indigeres! Charitas omninò tua effecit, pro qua infinitas tibi gratias ago: peto verò supplex, mihi vt adfui, ad fructum: ex ipsius Angeli custodis, cuiusque (qui magni consilij es Angelus) consolationibus & monitis, capiendum. Ex hoc etiam exemplo discam, eod me dimittere, vt à quocunque accipere consolationem non renuam etiam si minus ille sit sapiens, aut prudens, quàm ego; & licet ego æquè nouerim, quæ ille ad mei consolationem adferre possit: sapienter enim Deus per minores & inferiores consolatur Superiores; nouumque illis sensum communicat veritatum, quas ipsi antea nouerant.

rant.

rant. Accipiam etiam documentum, diuinas
potius quam humanas rationes conquirendi,
ad consolationem mearum calamitatum; &
simul audiendi, quas Spiritus S. verus & soli-
dus consolator cordi suggerere consuevit, ad
eius consolationem.

PUNCTVM II.

AVDITIS Angelirationibus, Christus
a factus in agonia prolixius orabat. Et ^{a Luc. 22. 43}
factus est sudor eius, sicut gutta sangui-
nis decurrens in terram.

CIRCA quem commiseratione dignissi-
mum casum, considerandæ sunt sudoris huius
ad eum extraordinarij & prodigiosi causæ: in eo
enim apparuit internæ afflictionis acerbitas,
qua innocentissimi huius Domini animus af-
flictebatur.

PERPENDAM itaque acerrimam pu-
gnam inter tristitiam & timorem mortis im-
minentium cruciatuum ex parte vna, zelum
verò Dei gloriæ, hominumq; salutis ex altera,
in ipsa Christi anima exortam. Vis enim ima-
ginandi, efficaci dolorum apprehensione, af-
fectus timoris, tristitiæ & agoniæ internæ ve-
hementes excitabat: sed ratio superior, mortis
necessitatem ex prædictis causis æstimans ze-
li amorisque affectus excitans aliis contrariis
resistebat: quo affectuum conflictu, eò vsque
excreuit agonia & animi mœror, vt sanguis
pro sudore toto corpore eruperit, in tanta
copia, vt ad terram vsque deflueret. O fortis-
sime athleta, quid tibi opus est ad eum fortiter

I.

contra

contra timores tristitiaſque certare, quæ tuæ
in omnibus ſubiectæ ſunt voluntati? Præpara-
re te fortè & delibare nunc vis luctam & con-
greſſum, qui tecum tortoribus & carnifici-
bus expectat? aut ſtadium totius imminens
Paſſionis tuæ ſic mente perambulare, prius
quam ipſe conflictus accedat? aut mihi exem-
plum præbes, aduerſus animi mei perturba-
tiones, dimicandi ſtrenuè videlicet uſque ad
ſanguinem, donec illas omninò ſuperem, ra-
tioniſque ſubiciam? Pro omnibus, immenſas
gratias ago, ſupplex petens, ut gratia tua ſic me
præuenias, ut artem hanc, contra omnes ani-
mæ meæ hoſtes ſtrenuè decertandi, & diſcam,
& reipſa exerceam. Ratio autem aduerſus a-
nimi mei propenſiones ad imitationem eius, quæ
hic geſſit Chriſtus decertandi, ea erit; ut ob o-
culos mihi diſtinctè proponam ea omnia, quæ
timorem mihi terroremque in via virtutis, &
executione diuinæ voluntatis adferunt, ſue ti-
mor ſit paupertatis, ſue doloris, ſue ignomi-
niæ, ſue morbi, aut alterius cuiuſvis difficul-
tatis; viriliterque decertans, feruētī gloria Dei,
meæque ſalutis zelo contendam illas vincere,
ſenſuumque appetitiones omnes diuinæ ſubi-
cere voluntati, eiſdem uſque ad ſanguinem ex
animi contra eas affirmatione reſiſtendo.

II.

DEINDE immenſum Chriſti amorem, pro-
fuſamque liberalitatem perpendam, qua ſan-
guinem ſuum ſpontè pro nobis effundit, qua
de cauſa in Canticis arbori myrrhæ compara-
tur quæ primum *diſtillat*, ſudoris inſtar per

b Cant. 5. 13.

suos poros, *myrrham primam*, ea autem postea
 puncta, corticeq; spoliata maior erumpit co-
 pia: ita Christus Dominus noster, noluit car-
 nificum verbera, spinas & clauos expectare,
 vt sanguinem illi extraherent; sed prius voluit
 imaginatione & sancto suo zelo, tanquam
 spontaneis à se adhibitis carnificibus, & fla-
 gris, & clavis adeo ad vitium cruciatus omnes,
 quos in omnibus corporis sui partibus, erat
 postea perpassurus, apprehendere, vt sangui-
 nem pro sudore effunderet per caput, faciem,
 dorsum, pectus, & per reliquas partes, ita vt
 illa hora spiritualiter, & agmine quasi simul
 facto, passus fuerit, quidquid postea succeda-
 neis horis erat perpassurus: atq; si spiritu cõ-
 prenderetur: verberaretur, spinis coronaretur,
 crucifigeretur, felleq; potaretur, mortis
 deniq; doloribus torqueretur; quò intellige-
 retur magis ipsum optare sanguinem suum i-
 tuitu nostri boni effundere, quam ipsos carni-
 fices, eundem, vt ei nocerent, extrahere. O ar-
 bor Myrrhæ benedicta, quæ ante quam excor-
 ticeris & pungaris, *myrrham primam* per cor-
 poris totius poros *distillas*. gratias tibi ob adeo
 profusum amorem, & benignissimam libera-
 litatem, quã hic ostendisti! iustificasset Domine
 semel cruciari: sed charitas tua liberalior e se
 voluit ostendere: quò nostra redemptio esset co-
 piosior; & patiendi exëplum, q̃ nobis præbes,
 efficacius. Vtinam imitari liceret! & *d fascicu-*
lum myrrhæ huius primæ collectum inter vbe-
ra mea reponere: vt dolenter amaritudines,
 quas

311
 Supra In-
 trod. 5. 1.

Cant. 5. 17.

d Cant. 1. 13.
 & 5. 15.

quas hic es perpeffus, recogitans, *manus meae
stillarunt myrrham probatissimam*, castigatio-
nem videlicet carnis meae, per opera peni-
tentiae, ad imitationem tui, qui tuam, etsi in-
nocentem, ad eò seuerè castigare voluisti. Ad-
iuua me, dilecte mi, tua gratia, vt voti huius
fortiter compos euadam.

III.

TERTIA huius sudoris fuit causa, vt vi-
num suum tenerrimumque sensum de no-
stris peccatis, lethalibusque vulneribus, qui-
bus totum mysticum Ecclesiae corpus est
sauciatum, magis nobis aperiret. Ad cuius
remedium, voluit ipse, tanquam caput no-
strum, interni doloris pharmacum tanta ve-
hementia sumere, vt toto suo corpore natu-
rali sanguinem sudaret. & quoniam pecca-
ta lachrymis ex hoc dolore abortis purgan-
tur, & remittuntur, tantum ipse sensit, vt non
solum tanquam aquae guttae per oculos lacry-
marum, sed vt sanguinis guttae, quae terram ipsam
irrigarent, per omnes corporis poros efflue-
rent. O sanguis pretiosissima, infinito amore,
& ingenti dolore pro meis peccatis effuse!
O si quis terra illa esset, in quam defluxisti? vt
tali lauacro ablatus, mundus euaderet, ac
sanctificatus: laua me o bone IESU, isto tuo
sanguine: & vel vnicam eius guttam mihi ap-
plica; quia illa ad meam salutem sufficet. &
quid ad meam dico? cum ad Vniuersi totius
tota voica suffecisset? cur ergo Saluator mi,
tot effundere voluisti? O amor verè immen-
se, & absque mensura! o quis immensè. &

sine termino te amaret! O si omnia membra,
& corporis particulae in linguas conuerterentur;
ut tuas laudarem misericordias; & in oculos,
quibus sanguinis lacrymas pro meis peccatis
effunderem.

ULTIMA causa fuit, ut ostenderet,
quantum illi sensum adferrent afflictiones
& persecutiones, quae mysticum electorum
ipsius corpus manebant; ex quorum
commiseratione sanguinem nunc sudavit, &
(ut Sanctus Laurentius Iustinianus ait) ibi
fuit cum Sancto Stephano lapidatus, cum
Sancto Petro crucifixus, cum Sancto Andrae
eidem coextensus, cum Sancto Bartholomaeo
excoriatus, cum Sancto Laurentio in craticula
affatus, cum Sancto Ignatio à bestiis dilaniatus,
ac denique spiritu ipse passus est, quidquid
eius omnes Martyres passi sunt in corpore,
in cuius testimonium nunc sudat sanguinem
ex suo. Dignissimus omnino es, o saluator
hominum, quem omnes laudent, ament,
& tibi toto conatu seruiant, ob tanta eius
amoris indicia data. O quis mihi daret, ita
dolores tuos sentire, ut vel eorum cogitatio,
sanguineum à me sudorem eliceret!
Si enim caput sentit ad eorum membrorum
dolores; consonum omnino est, & membra
ipsa, capitis sui dolores sentire.

DENIQUE perpendendum, quanta fuerit
Christi debilitas post hunc sudorem! quam
solus, nec habens quo sudorem abstergeret:

IV.

*Lib. de Triumphali
Christi agone. cap. 19.
num. 40.*

V.

IV. Part. Medit.

S

aut

aut qui leuamen aliquod illi offerret? Angelus solus rem obstupens, iterum fortè confortauerit; donec abeundi tempus adesset. O IESU afflictiissime, quis in horto isto fuisset ut in tanta afflictione te comitaretur: O quis animam tibi & cor offerre potuisset, ut sudorem abstergere, & leuamini tibi esse licuisset. Da mihi spiritu id præstare, quod tunc ex compassione re ipsa facere voluissem, in tuum solatium.

PUNCTVM III.

a Luc. 22.

46.

b Marc. 14.

41.

b Matt. 26.

45.

PVGNA hac & sudore sanguinis finito, **P**a Surgens CHRISTVS ab oratione venit tertio ad discipulos, & inueniens eos dormientes præ tristitia, b ait illis: dormite iam & requiescite. Sufficit: Venit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: Ecce appropinquauit, qui me trahet.

PERPENDE primùm, quantam virtutem & fortitudinem caro ipsa CHRISTI, ex oratione acceperit, ad passionis conflictum aggrediendum: hoc nos exemplo docens efficacitatem orationis, ad carnis imbecillitatem corroborandam, & animum ei addendum, quò aggredi audeat, quod priùs horrens refugiebat.

II.

DEINDE perpende Christi Domini mansuetudinem, qui etsi in tanta fuisset agonia & angustiis, videretque discipulos adhuc dormientes, nulla est commotus indignatione,

led

sed commiseratione potius dicens eis; *Dormite iam, & requiescite.* O bone IESV, quanto magis tu somno & requie indigebas, quam tui discipuli! sed amantissimi instar patris, tibi labores & curas accipis; tuis verò filiis requiem concedis.

PAVLO post eos excitans: *Sufficit*, inquit, *surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet:* tanquam comiter eos monens diceret: Vos dormitis, qui amici mei estis: non ita inimicus meus, qui vigilans in necem meam, iam adest. His ego pudore afficiar; attendens, quanto diligentiores sint iniqui ad offendendum Christum, quam ego sim ad seruiendum eidem. Sed eius tamen virtuti gratiæque innitens, ab hoc meo somno & torpore surgens, eum in suis laboribus comitabor, me ipsum promptum offerens, ad similes, ipsius amore subeundos.

III.

